

**130.** Vos ex patre diabolo estis. Haecenus obscure Christus de eorum parente egit supra vers. 38. & 41. Nunc verò ex eorum impudicitia, ac malevolentia maximè manifestata, eis dicit eorum parentem, nec esse Deum, nec Abraham, sed Diabolum, cum eius suggestionem, ac nutum sequantur; seu, vt ait D. Epiphanius hær. 38. ex patre Diabolo, non natura, sed imitatione. D. Ambrosius lib. 4. in Lucam: *Non carnis successione, sed criminis. Cum apertis inimicis apertè agendum est.* Tertullian. lib. de carne Christi cap. 17. Auctor. qq. noui, & veteris testament. apud D. Augustinum. quæst. 98. Per Diabolum intelligunt Cain, qui fratrem suum Abelem occidit. D. Epiphanius hær. 38. & 40. Iudam proditorem interpretatur, nam Ioan. 6. num. 70. Diabolum vocatur. At ex consequentibus satis apertè constat, quod per Diabolum in præsentem intelligatur princeps Dæmonum, qui primus Angelorum peccauit, aliisque fuit peccandi auctor. *Et desideria*, seu vt alij legunt (concupiscentias, seu cupiditates) *Patris vestri, vultis facere.* Causam assignat, cur eos Diaboli filios dicit, nam eius nutum, ac suggestionem in omnibus sequuntur. D. Chryostomus homil. 53. *Non dixit, ait, opera, sed desideria eius facitis.* Potentia suis terminis determinatur; at desiderium vagabunde, multa, & etiam impossibilia fingit; Tanta est hominum malitia, vt quò Diabolum audenter desiderando venit, homo peruenire operando præsumat; & ad id, quod Diabolum aliquando non executione, sed desiderio machinatur, homo festinanter operando se extendat: aliter explicat Caeteranus. *In quo, ait, ostendit eos obsequensissimos filios Diaboli, vt potè, qui non expectant præcepta Patris, sed spontanei sunt ad implendam desideria Patris.*

**131.** Ille homicida est ab initio; scilicet mundi, nam eodem die, quo Adamus creatus est, eumque ad peccatum prouocauit, eademque die ipsum, omnisque eius posteros occidit. *Et in veritate non stetit.* In integritate, ac reatitudine morum, ac præceptorum Dei. Ita D. Chryostomus homil. 54. S. Leo, ferm. 10. de Quadrag. Beda, D. Augustinus. S. Thomas, Euthymius. *In recta via, ait, non quiescit; Lyranus in obedientia ad Deum; Caeteranus in veritate fidei.* D. verò Irineus lib. 5. cap. 22. & 23. Toletus, Lucas Burg. pro veritate intelligunt veritatem, quæ mendacio opponitur, id est, ab initio non fuit verax, sed mendax, nam mentiendo hominem decepit, hæc tamen sententia ex prima sequitur, quia non stetit in lege Dei, inde in mendacium deflexit. *Non stetit.* Ex hoc colligit D. Augustinus lib. 11. de ciuit. Dei. cap. 14. Diabolum in gratia conditum fuisse, nam his verbis apertè mutatio in deterius significatur. *Quia non est veritas in eo.* Illud, quia, vt ait D. Augustinus lib. 11. de ciuitat. cap. 14. assignat causam, quare in veritate non steterit; quia ex eo quod peccare cepit, nulla in eo est veritas tam motum, quam etiam veracitas, quæ maximè propriè hinc significatur, quæ est studiosa virtus dicendæ veritatis, nunquam enim amat dicere verum, omnino alienus est à veritate, quantus enim ipse est, totus mendax est, & si diabolus aliquando aliquod verum dicit, totum illud, vt notat D. Thomas 1. part. quæst. 64. art. 2. ad 6. in mendacium, fallaciam, ac deceptionem, & damnum dirigit, & ordinat.

**123.** Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur. In hoc sensu fere conueniunt Patres

mbros.  
Tertullian.  
August.  
Epiphanius.  
Chryost.  
Caeteran.  
Chryost.  
Leo.  
Beda.  
August.  
D. Thom.  
Euthym.  
Irin.  
Tolet.  
Luc. Burg.  
Lyran.  
Caeteran.  
August.  
D. Thom.

D. Chryostomus. D. Augustinus. Origenes Leont. Beda, Rupertus, D. Thomas, D. Bonaventura. Ex propriis loquitur, hoc est ex sua propria malitia, ex suaque propria fictione, ac inuentione, ex suoque intimo affectu homines perdendi, illud loquitur, & dicit; Diabolus enim extitit primus, mendacij auctor, primusque fuit, quid illud inuenit, ac in orbem introduxit. Sicque ait Chryostomus. *Mendacio primus usus est;* Euthym. Theophylactus. *Homines mendacio vti, quasi re aliena videntur; Diabolus autem, quando mendacio utitur, re propria utitur.* Ipse enim illius est inuentor. *Quia mendax est.* Totus enim inclinatione, affectu, vultu, ac officio mendacis est applicatus, mendaciisque delectatur. *Et pater eius;* scilicet mendacij; vt clarius habet Syriacus. *Et pater ipsius mendacij.* Quod subintelligitur in nomine mendax, dicitur autem diabolus pater mendacij, quia ipsius est fabricator, sicut figulus ex luto format vasa testacea: sic & diabolus est pater, & figulus mendacij, vel quia ipse fuit illius inuentor, sicut primi artium inuentores illarum dicuntur Patres. Sic Iabel dicitur pater habitantium in tentoriis. Genes. 4. num. 20. Sic eius frater Tubal nuncupatur. Pater canentium cithara, & organo. Ibidem num. 21. D. Augustinus tract. 42. *Diaboli lapsus, ait, genuit quasi filium mendacium. Nam tu forte mendax es, quia mendacium loqueris; sed non es pater eius, quia à Diabolo accepisti. Ille vero quia non aliunde accepit mendacium, quo mendacio tanquam veneno serpens hominem occideret, pater est mendacij.*

*Ego autem si veritatem dico.* Opponitur se Iesus Diabolo; & idem valet, ac si Dominus loqueretur, ait Euthymius. *Si mendacium dicerem, crederetis vique mihi, tanquam id dicens, quod proprium est Patris vestri: quia autem doceo veritatem, non creditis mihi vt potè alienum ab eo docenti.* De quo plura cap. sequenti.

Chryost.  
Augustin.  
Origenes.  
Leontius.  
Beda.  
Rupertus.  
D. Thom.  
Bonavent.  
Euthym.  
Theoph.  
Syriac.  
Genes. 4.  
August.  
133.  
Euthym.  
134.  
August.  
Hieron.  
Chryost.  
Theophyl.  
Beda.  
D. Thom.  
Bonavent.  
135.  
Rupert.  
Voluntas pro opere.  
136.  
Græca

QVÆSTIO XV.

Quare Diabolus dicitur homicida ab initio?

**D**E homicidio spirituali, vel corporali sententia interpretari potest. De spirituali homicidio hanc sententiam intelligunt D. Augustinus lib. 2. contra Pelag. cap. 13. & in præsentem D. Hieronymus in cap. 24. Iob, & hic D. Chryostomus, Theophylactus, Beda, D. Thomas, Albertus Magnus, D. Bonavent. Diabolus enim ab initio, ac exordio mundi homini inuidens, eodem die, quo creatus est, primos parentes occidit, eoque ad peccandum induxit.

Secundò. Alij de morte corporali explicant. Primò Rupertus de odio, quod habuit Diabolus in filium Dei ab initio, vt eius homicidium per Iudæos exequeretur. *Mox, ait, vt contra Dei filium, qui solus similitudo Patris est, superbo tumescens odio, dixit in corde suo: similis ero altissimo; quoniam odium illud per manus Iudeorum consummandum erat: iam tunc in conspectu Patris, & ipsius, qui hæc loquitur, filij homicida erat.* Coacta nimis est interpretatio, non enim ab initio diabolus Dei filium occidit, nisi sic intelligas, quòd voluntas pro opere reputatur.

Aliter verò Theodorus Heracleen. in catena

Græc.  
Euthym.  
Hilar.  
Maldonatus.  
Bergen.  
107.  
Hilar.  
Blanditia potenter ad pendendum quàm robur exercitis.  
138.  
Rupert.  
Itai. 14.  
Ambitio crudelissima ad mortem instigendam.  
Chryost.  
139.  
Ezech. 21.  
Hieron.  
Theodorct.

Græca, Euthym. D. Hilar. citandus Maldonat. Lucas Burgenf. de morte corporali etiam verba Christi intelligunt; quia Diabolus primis parentibus per peccatum; deinde vniuerso generi humano causa extitit, vt etiam corpore morentur, sicque hoc prauò suo studio semper homines ab initio ad homicidium instigauit. Citatus Theodorus, *Ille primus, ait, decipiendus per eius prauaricationem totum genus humanum fecit obnoxium: Ille Cainum ad fratricidium armauit: Ille generosum sanguinem institorum, per impios effundendi curauit, cuius ipsi malitiam imitari insidias Domino struebant.* Hæc sententia explicata de morte corporali inde mihi probabilior. *Desideria patris vestri vultis facere.* Quibus verbis Christus Dominus denotat, quod Iudæi desiderium Diaboli exequentes ipsum volebant occidere, non spiritualiter, sed corporaliter, ergo cum ad hoc dicat Diabolum homicidiam ab initio, non de spirituali, sed corporali homicidio intelligendus est.

Tertiò. D. Hilarius lib. contra Arrium. *Hæc, ille, ait, pater tuus artifex humanarum mortuum docuit, iugulare sine gladio: persequi sine infamia, odisse sine suspitione, mentiri sine intelligentia, profiteri sine fide, blandiri sine bonitate, agere quod velis, nec manifestare que velis.* Cum in exordio mundi Diabolus loquitur *Eritis sicut dij.* Mortem in omne genus humanum induxit. Sed quibus armis tantam desolationem inuexit, exercitunc copioso comparato, lancea, gladio, armifve? Minimè: sed blanditiis, dum enim plausibiliter, ac amica verba protulit, totum genus humanum morte astrinxit, potentiores ad pendendum inueniuntur blanditiæ quàm omne armorum robur.

Quartò. Iterum expendo moraliter citata Rupertus verba: *Superbo tumescens odio dixit in corde suo, similis ero altissimo, iam tunc in conspectu patris, & ipsius, qui hæc loquitur filij, homicida erat.* Dicitur Diabolus à Christo Domino homicida ab initio, & tamen si eius primam vocem consideres, nullius sanguinis effusionem importare videtur: Ecce prima Diaboli vos apud Itai. 14. n. 13. *Dicebas in corde tuo: in celum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamento, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* In hac voce nec leuiter homicidium videtur insinuari, quomodo ergo homicida ab initio, eo ipso, quod ascensiones cogitabat in corde suo, thronumque obtinere affectabat, ac altissimi similitudine nitere ambiebat? iam inde homicidium meditabatur, cum enim ambitio creatum peccus ingreditur, iam ex ipsa tanquam à radice homicidium, ac aliorum interitus pullulat, vt affectuosis suis opratis faginetur. De Abfalon mortem patris machinante ob imperium. 2. Reg. 15. num. 10. sic ait D. Chryostomus in Psalm. 7. ad eius initium. *Amor principatus, omnem eiecit paternam reuerentiam; & vt homo, fera esset, effecit.*

Magnam deuastationem indicens Deus Ierusalem, ait; *Gladius, gladius excacutus est; & limatus est: vt cadat victimas; excacutus est: vt splendat, limatus est.* Ezechiel. 21. num. 9. Maximè terribilis, ac ad necem promptissimus describitur gladius à Propheta, vt notat D. Hieronymus. Theodoretus, ac communiter Commentatores, & ideo non semel, sed geminatè dicitur gladius, quia ita erat vnus, vt efficacitate esset multiplex, &

ad hoc maximè exprimendum, dicitur quod gladius erat *excacutus, & limatus*, sed ad quid insuper additur, quod splendore nitet? *vt splendat. limatus est*; nil maius sanè dici potuit ad exaggerandam gladij crudelitatem; ad cunctosque homines perterrefaciendos, excacutus, & limatus est gladius, vt splendat, ipsa splendoris ambitio vehementiorem, ac penetrabiliorem reddet gladium ad vniuersorum occisionem, quàm quæcumque artificis acutio, & eliminatio, ambitio enim super omnem humanam artem instrumentum præparat, & aptum efficit ad necem; Petrus Damianus lib. 1. Epistol. 20. ad Cadaloum Episcopum multa ambitione inflammatum sic scribit. *Cur autem duo hæc iste gladius habeat, hoc est, vt limatus sit, & acutus, secutus exponit: vt cadat, inquit, victimas, excacutus est, vt splendat limatus est: Nonne videntur in te ista congruere, qui videlicet, vt solus valeat dignitate splendere, totum regnum laboras in prælium, velut occisionis victimas congregare.*

CAPVT XVII.

Veritas prædicatur.

Ioann. 8. n. 46. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi.

VERSIONES.

D. Athan. lib. Quis ex vobis conuincet de commun. me de peccato? *essent. Patr. Fil. & Spir. sanct.*

Haymon. Episc. Quis ex vobis ostendet me in homil. de peccato?

Simon. Cassian. Arguet me de quocumque lib. 11. c. 40. peccato.

Armas. Pagn. Quis ex vobis arguit me de peccato? propter quod si veritatem dico.

Vatabl. in schol. Quis ex vobis redarguit me de peccato?

Gracus. Si ergo veritatem.

EXPOSITIO I.

**P**ROSEQVITVR Christus Dominus suum sermonem; & ait Iudæis, cum quibus loquebatur. *Quia ex vobis?* Origenes tom. 15. in Ioan. existimat quod Christus hic habet sermonem cum Iudæis, qui crediderunt in eum. Hoc cap. 8. Ioan. 30. tamen, vt mihi est probabilior, & dixi superiori cap. ad vers. 40. loquebatur Dominus cum omnibus Iudæis, qui aderant, & etiam cum omni genere Iudæorum, imò vt vult ipse Origenes citatus, verba hic habet

Ambitio splendoris crudelis.  
Damian.

140.  
Origenes.

Cassian. habentur non solum presentibus, sed etiam cum uniuersis hominibus: arguet me de peccato. Cassianus, quocumque sine originali, sine actuali, tam veniali, quam mortali, id est si aliquis sibi persuadet in me aliquando fuisse peccatum, sine defectum, illud dicat, & prodeat in medium. Recte D. Chryostomus, Origenes. Hoc verbum nullus hominum fiducialiter dicere possit, nisi solus Dominus noster, qui peccatum non fecit. Nostra vulgata habet arguet, Arias, Euthymius, Pagnin. arguit, vtraque lectio maxime conducit ad sensum, ac si dicatur, nec arguit, nec arguet de peccato. D. Athanasius, & Codex Graecus legit, Conuincet. Quod iuxta radicem Graecam significat convincere rationibus, ac argumentis; nam ut notar Carthusianus. Iudaei Christum accusabant, ut sabbari violatorem. Ioan. 5. num. 61. & 9. num. 16. hanc autem calumniam dicebant, non veritate, sed odio, inuidia, ac falsitate.

2. Si, seu ut habet radix Graeca; si ergo, quae coniunctio si multum facit ad energiam argumenti; veritatem dico. Theophylactus, Hugo, illam nempe veritatem, se esse Dei filium, quod est verissimum. Beda, Haymon. Albert. Magn. veritatem in omni sua doctrina, verbis, ac promissionibus. Quare non creditis mihi. Quamobrem quae causa est, ut mihi non credatis. Notat enim D. Anton. Vlyssippones, serm. in Domin. Passionis, quod doctrina vna ex triplici causa contemnitur; vel primo propter peccatum; siue malitiam Doctoris, vel secundo propter falsitatem, & errorem doctrinae, vel tertio propter obstinationem auditorum. Ait ergo Christus. Mea doctrina si non recipitur, non est ob aliquem Doctoris defectum, mea enim vita, ita pura, & sancta est, ut vobis confidenter dicam. Quis ex vobis arguet me de peccato. Mea etiam doctrina si non recipitur, non est, ob aliquam sui falsitatem, illa enim est verissima, & ipsa veritas. Veritatem dico vobis. Sequitur ergo, quod mea doctrina non recipitur ob obdurationem, ac obstinationem mentis vestrae, qua auditam vestram obturatis, ne eam recipiatis. Vnde subditur sequenti versu. Propterea vos non audistis, quia ex Deo non estis, vnde dicitur Proverb. 18. num. 2. Non recipit stultus verba prudentia.

QUESTIO I.

Quare Christus Dominus hic ingerit sermonem de sua puritatis integritate, ac doctrina veritate.

3. Dixit Christus Dominus immediate antecedenti versu. 43. Quare loquelam meam non cognoscitis? Meam scilicet doctrinam non recipitis. Cuius rei rationem reddit sequenti versu. 44. Vos ex parte Diaboli estis, & desideria patris vestri vultis facere, ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius. Tunc immediate subiicit Christus. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi: Quis ex vobis arguet me de peccato? sensus est; Arguit Iudaeos Christus, cur eius doctrinam non recipiant, ac percipiant; causa huius rei ea est, quia vos ex parte Diaboli estis, cum

eius suggestionem, ac placitum, & nutum in omnibus sequamini, cum tamen ille sit homicida ab initio. Qui spiritualiter, & corporaliter mortem adduxit, seu pro homicida habet Syriacus. Criminator omnium, scilicet malorum, & ipse in veritate non stetit, quia non est veritas in eo, quia mendax est. Totus est mendax, nullumque est verbum veritatis in ore eius, & tamen. Desideria patris vestri vultis facere. In omnibus eius desiderium sequi, & exequi; mihi vero, ait Christus, in quo est summa puritas, & sanctitas, ita ut quis ex vobis arguet me de peccato. Meaque doctrinae, quae est summa veritas; veritatem dico. Et tamen ita estis obdurati, vt non credatis; Quare ergo vos non creditis mihi? Sicque obiicit eis Christus eorum summam miseriam, & malitiam, quia Diabolum homicidam, criminatorem, mendacem, ac mendacij patrem sine vlla veritate recipiant, & sequantur, se vero vtpote verum Deum summè sanctum, purum, veracem cum omni veritate reiciant, & reprorent. Et hic est genuinus connexionis sensus; repletus daemon malitia ineptus ad eloquia Dei capescenda. Vide superiori. cap. quaest. 14. Ex hoc aliqua documenta moralia percipiamus.

Primò Origenes tom. 25. in Ioan. ait: si memores sumus ad quos loquitur, nempe ad eos, qui crediderunt ei, Iudaeos, qui promissionem acceperunt. De quibus facit Euangelista mentionem hoc cap. 8. num. 31. Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderant ei: si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis. Magna sane dubitatio. Quare eos, qui in eum crediderant, rigidè, & asperè filios diaboli appellat, vos ex parte Diaboli estis, cum tamen fide se eius discipulos profiterentur, & quomodo ei loquens, ait: Quis ex vobis arguet me de peccato? nam si ipsi eum recognoscebant vt Messiam, ac filium Dei, immunem eum ab omni peccato venerabantur; & tandem, vt ait Euangelista, crediderant ei: qua ratione eis dicitur. Quare non creditis mihi? Ili Iudaei crediderunt in Christum superficialiter, & imperfectè, vt docent D. Chryostomus, Leontius, Euthymius, Theophylactus, D. Thomas, D. Bonavent. à me citati superiori cap. expal. 9. num. 98. & fortè etiam fidele exhibuerunt credentes, vt intimius obseruarent Christi actiones, & opera; vtque facilius eum possent accusare, ac calumniare, inde Christus Dominus tam durè, ac acerbè in eos inuehitur, vt eis dicatur: Vos ex parte Diaboli estis; quod aliis Iudaeis non legitur tam apertè dixisse, tum quia amicus fectus, & simulatus aliis crudelior; tum quia ipsi sequela, comitatu, ac credulitate Christi, qui est totius vitae fons, abutenres, in teritum, ac ruinae malitia sua sibi parabant, Dominum sequi volebant, non vt in eius doctrina firmarentur, sed vt latius in detractone diffunderentur. Nil magis pestiferum, quam ex remedio vitae venenum extorquere. Vnde monet D. Augustinus serm. 246. de tempore. Caue ne in domo vite mortem quaeratis.

Moriturus Iacob benedicens filios suos ait: Simeon, & Leui fratres: vasa iniquitatis bellantia: maledictus furor eorum, diuidam eos in Iacob, dispergam eos in Israel. Genes. 49. num. 5. iuxta communem sententiam alludit hic sanctus Patriarcha ad necem perpetratam in Sichem, cuius auctores, & duces fuerunt Simeon, & Leui. Cur propter hoc crimen tam durè eos percussit Iacob? Cur non potius propter venditionem Ioseph, quae vehemen-

Syriac.

Explicatur series connexionis textus.

4. Origines.

Chrysof. Leont. Euthym. Theophyl. D. Thom. Bonavent. Inimicus simulatus crudelior ceteris

Execrabile medium vitae in damnatum transferre.

Augustin.

5.

Genes. 49.

mentissimo dolore eius animum penetravit; vel cur non potius propter crimen pessimum, de quo accusati sunt à fratre suo Ioseph, sed tantum ob interfectionem Sichem? In furore suo occiderunt virum, suffoderunt murum. Hoc malum perpetrarunt Simeon, & Leui persuadentes Sichemitas, vt se circumciderent, quo facto tunc tertia die, quando dolor est vehementissimus ciuitatem inuasunt, ac omnes gladio peremerunt. Genes. 34. num. 35. Simeon, & Leui in sedes ad suam nequitiam perpetrandam assignarunt circumcissionem, quae pro illa aetate ante Christi aduentum Sacramentum vitae, actus religionis, & diuini cultus extabat; dissimulantes alia peccata, ac verò medium vitae, religionis in damnum, & ruinae transferre, hoc super omnia execrabile, omnemque maledictionem, ac detestationem sibi comparat. D. Ambrosius lib. de benedictionibus cap. 3. Isti duo pro ceteris fratribus, ait, vltum ire cupientes, oportere circumcidi eos suaserunt illis, vt religione concordia pax inter eos firmaretur: sed circumcisos adorsi, die superuenientes tertio necauerunt. Vide supra cap. 15. quaest. 7. num. 48.

6. Secundo. Christus Dominus iuxta citatum Origenem loquitur in presenti cum his, qui crediderunt in eum: fide nempe superficiali, sed cur hos filios diaboli appellat, de eis quae conqueritur? Quare non creditis mihi? Cur potius hanc querelam non facit de Scribis, & Pharisaeis, sed de his, qui crediderunt in eum? quibus & fecit promissionem, verè discipuli mei eritis; maiori enim dolore animam saucia iniuria de obligato beneficio, quam quodlibet crimen crudelioris inimici. Qui enim crediderunt maxime erant astricti beneficio ex diuina benevolentia accepto, inde eorum crimen grauius illi est, quàm quodecumque aliud Pharisaeorum. Ait Adamus Deo: Mulier, quam dediisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Genes. 3. num. 12. Cur de muliere, & non potius de serpente conqueritur? Cur non ait: serpens deceptus nos? Mulier ei maxime erat astricta, vtpote de eius costa creata, cui ipse multam benevolentiam ostenderat, Os de ossibus meis, & caro de carne mea: vt ponderat D. Bernard. serm. 1. in festo omnium Sanctorum. At serpens infastus, & fauus aduersarius; durius autem primo fuit Parenti, quod mulier tam sibi obligata fomitem peccati ministraret; quam quoddam serpens crudelis hostis iacula tenderet, à quo non nisi malum, & perniciosum sperandum erat.

7. Tertio. Vt est probabilis, & dixi in expositione, haec verba dixit Christus Dominus Scribis, Pharisaeis, ac omnibus Iudaeis, quibus obiicit Christus. Vos ex parte Diaboli estis, &c. Quod Diabolo homicidae, criminatori, ac mendaci, sibi verò omnimodè sancto, ac veraci, nolint credere, si veritatem dico, quare non creditis mihi? Et sic se res habet apud mundiales, vt mendacia sequantur, veritatem fugiant, & vt mendacis indulgent, veritatem exercentur, vnde praclare in persona Christi ait Euthymius in antecedenti versu. 45. Si mendacium loquerer, crederetis vtiq; mihi tanquam id dicenti, quod proprium est patris vestri, quia autem doceo veritatem, non creditis mihi, vtpote alienum ab eo docenti.

8. Meum Iesum adstantem interrogat Pilatus. Quid est veritas? Ioan. 18. num. 38. valde mirum, quod ille, qui affectu propensus erat ad veritatem, quantum enim potuit, laborauit, vt Dominum Iesum ab iniquorum manibus eriperet,

quique pro tribunali stans omnium iura dicebat, omniumque causas discernabat, tanquam veritatis ignarus à Diuino Magistro interrogat, quid est veritas? Euthym. Discere cupiens interrogat, quid est veritas? Vnde in praeside, ac iudice tanta ignorantia? Erat ipse totus immeritus, ac implicatus mundialibus rebus, ac negotiis, ex quorum habitu veritatem omnino ignorabat, falsitatem apertè percallebat. Ex his, in quibus quilibet versatur facile ingenium depromitur, quid enim parerent mentita negotia, nisi mendax ingenium. D. Hieron. Epistol. ad filias Geruntij. Certe Euangelista ait, adeo iustum fuisse Pilatum commemorant, vt innocenti mallet absolueri, quam punire, & tamen veritatem quasi discere cupiat, inquit: Quid ergo dicemus? Inanes sine dubio mortalium curas, & vniuersam mundalium rerum prodidit falsitatem; ubique vera iudicia non esse; ubique sine mentita negotia. Et Theophylactus, Interrogat, ait, Pilatus quid sit veritas: sermè inter homines abolita erat. Vide superiori cap. 16. quaest. 3. num. 20. & 21.

QUESTIO II.

Quare Christus se hic immunem à peccato ostendit, non signis, & prodigiis, sed argumentis, & ratione?

9. POTERAT Dominus multis signis, & prodigiis se immunem ostendere ab omni crimine, & peccato, de quo à nullo possent argui, sic & pro declaranda sanctitate Moyses factum est, contra Dathan, & Abiron, vt consuetata morte non perirent, Numer. 16. num. 29. Sic & pro Samuele tonitrua facta sunt. 1. Reg. 12. n. 17. sic & pro sui defensione multo maiora signa Dominus edere valebat: sed illis omisissis ratione, ac argumento vtitur Dominus. Quis ex vobis arguet me de peccato? Deinde subiungit: si veritatem dico, quare non creditis mihi? Et postea. Qui ex Deo est verba Dei audit, propterea vos non audistis, quia ex Deo non estis. Vt rectè notauit D. Gregor. homil. 18. in Euangelia. Non designatur Dominus ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute diuinitatis poterat peccatores instruere. Disposuit Dominus suam puritatem, ac sanctitatem manifestare non exhibita potentia, & maiestate, sed interposita iustitia, & ratione, vt suo exemplo principes ac magnates saeculi informerent, vt eorum facta non potestatis excellentia, sed rationis dispositione probentur.

10. Cum sacra Pentecostes die, accepto diuino Spiritu, Apostoli variis linguis loquerentur, obmurmurant Iudaei dicentes, quia multo pleni sunt isti. Occurrit Petrus, & multis ostendit eos non esse ebrios. Non enim sicut vos esumatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia. Actor. 2. num. 16. quod erat efficacissimum argumentum; nam Iudaei diebus festis non poterant comedere ante horam sextam, hoc est ante meridianam, vt ex Iosepho, ac aliis notat Lorinus; cur in re tanti ponderis argumenta interponit Apostolus? cur miracula non operatur; vt pro suo honore tuendo vsus est Elifaeus contra pueros illudentes. Ascende calue. 4. Reg. 2. num. 24. Ex quibus duo vrlu truentes quinquaginta duos interfecerunt. Ad

Euthym.

Homines veritatem ignorant, mendacij agnoscunt.

Hieron.

Theophyl.

9.

Numer. 16. 1. Reg. 12.

Gregor. Ratione, ad iustitia, non potestate comprobentur facta.

10.

Actor. 2.

Lorin.

4. Reg. 2.